FUNEBRIS ORATIO IN ILLUSTRISS. ET REUERENDISS. S.R.E. CARDINALEM GULIELMUM...

Joao Vaz da Mota

Digitized by Google

VINCENTIVS MOTTA
LECTORI.

AD monitum te, Lector, per me cupit frater noluiſſe ſe, vt conſuetum ſibi morem obſeruaret, mutare quicquam in oratione iſta, detrahere, addere, vti qui interfuerunt homines doctiſſimi fidem facient; inque Eccleſiaſtico principe laudando non tam ſe profanorum ſapientum, quam ſanctorum hominum, qui literarum gloria omni æuo floruerunt, imitatorem videri curaſſe, modo diceret latinè.

Deinde infinita propemodum præclara prorſus, & inſignia omiſiſſe, tum quia breuiſſimo quinque ſpatio dierum, qui ſoli ad ea colligendum, orationeque explicandum ſuppetebant, in ſummo præſertim eius ipſius, & aliorum mœrore animi memoriam effugere: tum vel maximè nè in immenſam amplitudinem excreſceret oratio. Qua etiam de cauſa pleroſque exornationum locos valde illuſtreis prætermiſit, voluitque potius non eloquēs quam importunè prolixus: nec tam ſuarum quam ſancti hominis laudum auidus haberi. Illa tamen ſperat ſe repoſiturum repræſentata paulo poſt eiuſdem vita: hos alijs in ipſius laudem monumentis: perfecturus vt grati animi recordatione abſe conteſtata, & in multis rebus alijs eum Principem, & in ea præſertim via, quæ ad immortalitatem gloriæ eſt certiſſima capeſſenda, vt probos homines demereretur, clariſſimos quoſque mortales ſuperaſſe, omnibus innoteſcat, Vale.

ORATIO

IO. VAZ MOTTAE OLISIPPONENSIS IN FVNERE ILLVSTRISS. CARD. SIRLETI.

PRAEBET *igitur & nunc nobis orationis argumentum magnus* Gulielmus Cardinalis *Sirletus, nec enim plura vllus vmquam, quàm ipſe præbuit: nec id, quod amplum, atque illuſtre eſſet, & ex vi, rationeque dicendi laudem ambientibus valdè accommodatum, præbere alius, quam ipſe poterat. Quãdoquidem ſiue ſancti quiſquam, & inculpati hominis exemplar cupiat effingere, ille effingendus: ſiue ſit recte viuendi norma, atque regula proponenda proponendus ille: ſiue viri Eccleſiaſtici in ampliſſima dignitate conſtituti forma & munus deſcribendum, ille deſcribendus: ſiue celebranda virtus celebrandus ille ſit: ſiue in laudatione tandem verſatura oratio, verſari circà illum penitus oporteat, qui virtute, innocentia, viuendi diſciplina, integritate morum, in ſumma dignitate exactiſſima repræſentandi eam ratione, eruditionis, doctrinæque præſtãtia, omni denique materia laudis tantum præſtiterit vt ſecum tantum contendiſſe videatur, cæteris verò non æmulandi, ſed exprimendi ſolum argumẽta, ſi modo quiſquam poſſit, imitandique reliquerit. At quę circunſtant & perterrent iſta diri ominis ſpectacula? Quod nam hoc doloris proſcęnium? quæ ſpecies mœroris? quæ lamentationum ſcena? Mæſtiſſimi enim, & deiecti vultus adſtantium: prorumpentes ſuapte vi ex oculis lacrymæ: tumentes palpebræ, & aquarum profluuia non valentes coercere: voces & ejulatus vix compreſſi, & cohibiti: teter hic, & lugubris apparatus animum percutiunt: & quemadmodum vniuerſa iſta põpa miſeriarum eſt, & calamitatis noſtræ theatrum, ita orationem eiuſmodi penè futuram ſignificant, quæ in expectatum aliquod vulnus infligat, aut influcti iam obducentem ſeſe refricet cicatricem, & non niſi doloris, querellarũ, lamentationum plena ſit. Præbet igitur & nunc dicendi argumentum ſanctus ille, & verè magnus* Pater. *ſed nõ quale vellemus omnes lætum, & iucundum, at vita functus, triſte & moleſtum, flebile & lugubre, acerbũ & luctuoſum. Tametſi enim ille nouus nunc Apoſtolus, Apoſtolorum in cælo, vt credimus, numerum auget: & inter ſanctos Innocens planè moribus, ac vita: inter eos, qui iam coronati ſunt decurſo ſtadio, deuictoque certamine coronam adeptus: inter corde mundos, caſtus: inter immortales & beatos, beatus & immortalis, reditu ad* Chriſtum *fælix omnino*

eſt: uos tamen miſeri & infœlices, qui eius obitu Imperatore, medico, parenteq; orbati, quam modo adeptus eſt ſtabilem, & inturbatam vitam gratulari ei nequimus: mortem verò, qna nobis omnibus, qua huic Vrbi, qua orbi vniuerſo, qua eccleſię Sanctę Dei tantum eſt illatum detrimenti non poſſumus non moleſte ferre. Sed enim qui ope omni, auxilioq; humano deſtituti ſunt, ad ſacram illam ancoram recurrēt, quam firmam ſemper, quam ſolidam reperere, communemq; parentem quærent, & non inuenient. Qui erūt vitę moleſtiis, & humanarum calamitatum vulneribus afflicti, medicum quęrent qui eorum plagas ſapienter incantet, qui contrectet vulnera, qui infundat oleum, qui circumliget & foueat, qui condoleſcat, qui conſoletur, & non inuenient. Qui ſtant in ordinibu:, & pugnant aduerſus hoſtes fidei catholicę, inſultanteſque hęreticorum acies repellere conantur, ducem quęreut, & non inuenient. Deceſſit quippe ornamentū capitis noſtri, Defloruit pulchritudo, qua gloriabamur, ſubreptum eſt nobis decus, ſucciſus eſt flos, defecit fons, flumen exaruit, in ſanguinem verſa aqua, & adempta nobis lux eſt, quidquid prius collucebat calliginis & tenebrarum globus occupauit. ò noctem & calliginem infœlicem. ò tenebras crudeleis. ò Nonas octobris funeſtas, & lugubres. ò infauſta doloris noſtri monumenta. Me miſerum quis ſuccidit florem, quis fontem diſſipauit? Quis ademit lucē, quis tenebras circumfudit? Quò ſe ille ſubduxit vitę ſplendor innocentis? Quò ſerenitas oculorum ſuauiſſima? Quo decus & lenitas vultus eximia? Quo paterna canicies veneranda et amabilis? Quo iucundæ labiorum gratię? Quo geſtus & oris ſuauitati copulata comitas? Quò dulcedo, affabilitaſque ſermonum? ò oculi, ò canicies, ò ſermones, quam ſunt oculi infœlices, qui vos amplius non vident, quam infœlices aures, quę non audiūt, quam nos miſeri, quibus iſthęc omnia paruus occludit ceſpes, breuis vrna contegit, puluis exiguus obruit, & abſcondit. Heu triſte, & infœlix nuncium, quas tu orbis partes, quas Eccleſiæ penetraueris, vt turbabis, vt lachrymis & fletibus inuolues. Penetrabis uero remotiſſimas quaſq;, nec tuus minor, quam ipſius ſolis curſus erit, nec enim minor pietatis, beneficentię, doctrinęque illius curſus fuit. At vos quę illas & ſiquæ ſunt adhuc remotiores incolitis, ſiuè barbaræ, et agreſtes ſiue excultæ moribus & ingenio nationes commodate lachrymas nobis, date mutuò, fletum, exhibete vltimum hoc parenti miniſterium, & quemadmodum in funere Iacob externus olim fleuit populus, ita & vos nobiſcum flete, de communique damno con lachrymamini. Et nos quum manus illa pleriſque veſtrum victum impenderet, quum iuuaret officiis exultauimus. Gauiſi ſumus cum gaudentibus, flete et uos cum flentibus. Reponite nobis hanc funeſtam gratiam. Te appello miſera & infœlix Gręcia clara olim magnorum hominum incunabulis, & belli & pacis artibus excellens, imperio dudum, gloria, dignitate ſpoliata, ſ. hoc erat reliquum infœlicitati tuæ, oppreſſa ſeruitute barbarornm, benignitate ſancti ſenis reſurgebas. Fouebat collapſam, erigebat iacentem, conſolabatur afflictam. Miſera & tu Palleſtina, cuius vere nunc in montes ros, & pluuia cadere deſierunt, cuius Iordanis ſanguine, nō aqua fluet: Miſera Germania. Miſeræ nationes reliquæ; At ingratæ, quæ non adeſtis vniuerſæ. Ornaret concentum hunc triſtem, & lachrymabilem flentium diuerſitas: fieretque vt diſſimilitudo diſſidentium linguarum aliquam fortaſſe calamitatis partem, doloriſque exprimeret, & reprę ſentaret.

Sed quò me dolor rapit? An verò mœror tranſuerſum agit, & aciei mentis velū obducit? Video enim neminem commiſeratione viri, ſed admiratione vt par erat huc omnes conueniſſe. Video puram illam, & ſanctam animam non dolentem modo, ſed quodammodo indignantem quod tumulus ille defuncti corpus culi lachrymas magis ab oculis videntium excutiat: quam animos, ad pręclaras & excelſas res imitatione ſui concitet, & impellat. Video ipſum ſuperatis laborioſę vitę diſpendiis, ereptū mundi turbinibus, in ſinu Abrahę quieſcentem ſignificare fœlicitate ſua nobis, non tam eſſe quod eum amiſimus dolendum, quam lętandum quod habuimus. Cohibebo igitur ſi potero luctum, nec propter eà virum laudabo, quod rem me gratam ei facturum credam, qui omnem humanam laudem vt ſuperauit, ita ſemper mirificè contempſit: ſed quia magnorum virorum laudationes audientibus ad virtutem ſunt incitamenta: laudabo aũt non elaborata oratione, quum nulla ornatior, magiſque illuſtris, & ad imitationis ſtudia concitandum accommodata oratio eſſe poſſit, quam deſcriptio vitę eius rerumque connumeratio.

Et quoniã qui huiuſmodi præcepta tradidere patriã in primis, et genus laudanda docẽt, parebo neceſsitati, ſed paucis: haud enim ignorat quiſquã nominis eius Italiæ partis, quæ magna Gręcia dicta eſt celebritatem. In qua ea exculta ſunt laudum ſtudia, vt ſiue gloriam, quę ex doctrina literarum, ſiuè quæ ex artibus bellandi, ſiue quę ex rerum publicarum inſtitutionibus comparatur, excogites, ornamenta rerum omnia domi foriſque peragendarum, ex vna illa prodiiſſe videantur. In hanc maiores olim magni huius viri cum illuſtriſſimo Arenę Marchione deuenerunt. Qui enim primus familię in ea regione fundamenta iecit eius principis cataphractorum equitum pręfectus rei militaris gloria quum apprimè illuſtris eſſet, pietate quoque & religione excelluit. Profecturus ſiquidem in hoſtes religionis noſtræ Scytas Beatum Franciſcum de Paula conuenit, diſtributiſque per milites viritim quos ab illo acceperat ſacris cereis glorioſam paulo poſt victoriam reportauit. Ab hoc poſteri oppidulorum quorundam ad Terram nouam & relictam ſibi auitæ, priſcæque nobilitatis poſſeſſionem ad Thomam vſque Sirletum ſanctiſſimi Cardinalis patrem fratreſque eius & patruos apud Ferdinandum Aragonium claros homines illibatam ſeruauere. De quo Thoma quum multa dici poſſent, venit in mentem inter infinita prope modum, quæ magnus noſter Gulielmus cum magno habuit Baſilio communia hoc in primis habuiſſe vt vtriuſque parentes præcipuam nobilitatem poſteris ſanctitatis innocentiæque reliquerint. Eſt & admiratione dignum eadem omnino de vtroque comperta eſſe: quemadmodum enim in Syluis Ponticis illius parentibus oblati olim in cibum Syluеſtres cerui ſunt, qui ſponte ſua trahebantur: ſic & huius patruo Abbati Sanctiſſimo in Syluis Italiæ magnus & perpulcher ceruus, qui ſe ſancti ſenis manibus in cænobium trahi paſſus eſt. Hic idem cum ſanctorum aliquando hominum manibus reliquias tenens populo oſtentaret, manna ex his defluxit vt de Cœlo olim ſub ducatu Moſeos in conſpectu Iſraelis. Thomas verò pater qualis fuerit ex eo primum coniectabimini, quod quæ vni Ciceroni ſine adulatione tributa eſt appellatio vt pater patrię vocaretur, illi eſt etiam tributa. Vt enim ille perniciem patrię moliẽtes ciues, auctoritate, conſilioque repreſſit: ita facultates hic maximas à maioribus acceptas in redimẽda ſæpius à ſeruitute patria, & piè, & liberaliter

exhau-

exhauſit: & quas deinde parauit, in priuata cuiuſque emolumenta, quum frequens
omnibus adeſſet ita impendit, vt qui viuens publiè patriæ dictus eſt, cuiuſque pri-
uatim pater vocetur vita functus, & patronus Quid quod ad cẽteſimum quintum
ætatis annum, quo migrauit è vita præſcriptas ſacerdotibus preces quotidie recita-
uit: quod in inſtitutione filiorum fuit admirabilis: in Dei eos timore vt alter Iob e-
rudiuit: in paterna obedientia ſeneſcentes etiam, & multorum liberorum patres
continuit: quod eius domus omnium ſemper, ſed pauperum præſertim fuit diuerſo-
rium: quod pietatis eadem, & religionis ſchola extitit. Quid quod in comparabilis
huius, & æternitate omni victuri hominis pater fuit? Parum enim hucuſque dixi,
dicam omnia vno verbo, is fuit Thomas ex quo magnus Cardinalis Sirletus ortus
eſt. Quid igitur? an non rectè dixiſſe quendam iudicamus optimum eſſe ingenuis na
ſci parentibus: & alium fortes creari fortibus & bonis? An non nobilitatem eſſe
ſtimulum virtutis, quando ex generoſa illa ſtirpe planta hæc pulcherrima nata eſt.
Sed miſſa fiant quæ diuinus animus ſublimitate mentis tamquam fluxa contemne-
bat: cœlumque agnoſcens patriam, homo tamen natus quum eſſet non ciuitatem
vnam, aut regionem, ſed orbem vniuerſum promerẽdo ſibi patriam faciebat, vt tam
quam ciuis vniuerſi, vniuerſo etiam ſe natum crederet: quemadmodum ſapientiſſi-
mus quondam externorum innocentiſſimuſque Socrates mundanum, hoc eſt non v-
nius gentis ciuem eſſe ſe profitebatur. Nobilitatem verò generis nouus hic Melchi-
ſedech eatenus magni fecit, quatenus ad virtutem ſibi, adque benè de omnibus me-
rendum ſtimulos addebat. Norat enim tamquam pullus generoſus ſuapte ſe natu-
ra ad id agi, eamque philiſophiæ rationẽ cum primis numini gratam eſſe. Idq; oſten-
dit ipſum numẽ. Nam quod ſcriptum eſt Dei amicos eiuſmodi effectos eſſe, nimis vt
honore afficiantur viuente illo vidimus. Quo enim tempore natus eſt è proximo pa-
ternis ædibus D. Nicolai templo calce ferreo aſpergillum quo aqua ſancta in popu-
lum effundi conſueuerat è marmorea pilla quum euanuiſſet, non reperto auctore in
patris domo repertum eſt: reſtitutum verò templo domeſticum animàlculum rur-
ſus arripiens prohiberi nullo modo potuit, quin per impluuium ad recens nati infan-
tis cunam defferret, atque ibi collocaret. Eundem confirmata iam ætate ad eam eue
xit dignitatis amplitudinem eadem numinis prouidentia quam vidiſtis, quæque eſt
in Republica Chriſtiana poſt primam maxima. Illud verò in conſpectu Dei ſancto-
rum mortem pretioſam eſſe, eius in obitu perſpectum eſt. Teſtis Roma, teſtes oculi
omnium, teſtes querelę, teſtis hæc ſancta domus, Teſtes & vos O ſacræ Deo Virgi-
nes, quarum voces, & eiulatuum clamores aures noſtras quatiebãt. Amiſiſtis enim
pręſidium: amiſiſtis benefactorem: amiſiſtis parentem Heù infœlices ſine nuptiis vi
duę, & ſuperſtitibus adhuc parentibus pupillæ Quam me veſtrum miſeret? quam
veſtram vicem doleo? Teſtis mortalium concurſus quum feretrum miſerabile in me-
dio huius templi cerneretur, infœlicitatiſque nos noſtrę admoneret: vt lacrymis
lauabatur, vt opprimebatur querimoniis, vt affligebatur luctu? Quae verò concer-
tatio vt manum oſcularentur ſaepius, vt aduoluerentur cadaueri: vt beata lipſa-
na contingerent? Heù dolor, teſtis ipſe ſum qui bis iam manum & pedes oſculatus
accurri quum feretrum tolleretur, (tollebant enim dominum meum, tollebant pa-
trem) & ad pedes corruens tantiſper detinui donec iterum oſcularer. O infœlicia

ſed

ſed dulcia tamen & ſuauia oſculorum pignora O crudelia extremi officij, ſed iucunda obſequia. O amplexus miſeri, qui quem apprehendebant, iam amiſerant, ſed me eò ſolabantur, quòd fallebant. At qui ſuperſtes tunc eſſe potui, & poſſe nunc lachrymas abſtergere æquum eſt.

Omittatur autem totum tempus pueritię, quamquam enim & magni hęc homines laudent, & igniculi iam tunc apparerent eius flammæ, quæ in ingentem poſt lucem adoleuit, eaque reperirentur, quę exacta vix ætate pręſtant ſenes, quum tamen id naturę debeatur, eſt ad alia properandum. Sub adoleſcentiam ergò quod Abraham olim, quod apud gentes Plato, Democritus, alij; quod apud noſtros Nazanzenus fecerat, & Baſilius, ad exquiſitiorem ingenij cultum comparandum patria profectus ad Græcarum præceptores literarum Neapolim, ac Romam mox contendit: quãquam ignorẽ an ab hoc magis diſcipulo ipſi diſcerent præceptores: quibus ille nõ par ætate, longe tamen ingenio, laboreque pręſtabat. Vt negotiator autem fortunatus, & ſedulus eam vim mercium, quas quęrebat comparauit, nullus vt tam eſſet diues, qui collatus illi, pauper penitus non eſſet. Quid enim ſingula, Latinamque, & gręcam linguam commendabo? quarum in vtraque nullum vidit ætas noſtra, qui vel ex parte aliqua cum eo eſſet conferendus. vidit Demoſthenẽ, Iſocratemq; Athena: habuit multos Græcia: vidit Marcum Tullium, alioſque Italia, quos dicendo inſignes ab eo tamen (non dicam ſuperatos, à quo enim poſſent) æquatos tamẽ vidimus: quin & in eo, etiam ſuperatos, quod externus homo extincta vtraque lingua illos adæquarit. In pangendis carminibus, & Græcis & Latinis cum Pindaro, Horatioque decertans, ex noſtris aſſequebatur Nazanzenum: Prudentium verò & reliquos Latinos magno poſt ſe interuallo relinquebat. Nec à me augẽdi animo hæc dicuntur: lecti à pleriſque ſunt illius verſus molliſſimi, dulciſſimi, grauiſſimi, piĳſſimi, vt Chriſtianus factus Pindarus cum Dauide, Solomone, Iobo, Nazanzeno coĳſſe videatur? Legũtur ſanctorum Patrum orationes de Græco verſę ſanè multę, ea puritate ſermonis, elegãtiaque expreſſae, vt diſſimilem multorum ſtylum in abſolutũ quoddam & perfectum dicendi character eius opera conſpiraſſe ſit fatendum. Sed haec adhuc ſunt exigua: exiguum quoq; hebraeam linguam optimè calluiſſe: Italae (vulgari, vti vocant) non quamcumque, ſed egregiam impendiſſe operam: quandò non celebres ſolum auctores eius ſiuè prorſa illi ſiue vorſa ſcripſiſſent mẽte tenebat, integraque poemata, modo caſta & religioſa eſſent, memoriter recitabat: ſed verſus quoque eadem puer olim ſcripſerat, dulces quidem & ſuaues, ſed pios prorſum ac religioſos. Hac ille cognitione linguarum tamquam famula ad indipiſcendum facultates & artes vſus altiores explicari nequit, quantus, qualiſque in omnibus euaſerit. Illas quae quia vera rerum, quas pertractant ſcientia nituntur; mathematicae vocãtur: cognitionem naturae rerum, quae philoſophia dicitur naturalis: diſquiſitionem morum quã Graeci ethicen appellant: dicendi, diſſerendiq; rationes, dialecticen. & logicen nuncupatas, aut ille vnus, aut certè nullus vmquàm aſſequutus eſt mortalium. Verum quòd & has adhuc ſublimioris cuiuſdam eſſe famulas perſpiceret, ſeque nouum Moſem ad ſuis ſpoliandam diuitiis Aegyptum eſſe cerneret, illis tamquam pediſſequis eſt inſtructus pulchrioris, quam ſibi dudum matrimonio copularat. Theologiam dico, quæ quam ſit conſternata viri obitu certè oculi oſten-

li oſten.

li oſtendent, pannoſam viduam, & afflictam, mœrore, triſtitiaque confectã intuentes. Ille enim diues quum eſſet, muliebremque mundum ex diſciplinarum opulentia lautum, & ſplendidum poſſideret, magnificè ſponſam, apparatuque plane regio excepit, & ad extremum vſque vitæ tempus pertractauit. Vt prudens tamen, & ſobrius ſponſę ſobriæ maritus lanam illam, & fuſum tractare patiebatur, ſed domi tantùm & inter priuatos parietes, nequid eius nõ ornatum in oculos incurreret intuentium. Scholaſticam intelligo philoſophandi de Deo rationem, in qua illi neſcio an par quiſquam fuerit: ſed quum plerique in margaritarum flammas, ſplendoreſque illos gemmarum coruſcantes inſpicerent oculorum aciem, & domeſtica inopia, & priuata hebetem calligine, adque tantum lumen cõniuentem demittebant, perquirebantque lanam & fuſum, ignorantes miſeri tractanda quidem iſthęc domi à ſobrijs principũ vxoribus: ſed foras regij illius cultus, veſtium, gemmarum, auri pompam traducendum. Quidquid igitur Gręcia vmquam, quidquid latium inuenit, ac litteris mandauit: quidquid ab exorientis Eccleſiae incunabulis ad hanc diem per ſcriptum extat: quidquid vel ſanctorum patrum, vel profanorum auctorum literae obſignarunt: quidquid vmquam de quacunque materia à Grammatico, Rethore, Oratore, Poeta, Hiſtorico, ab Arithmetico, Muſico, Geometra, à Medico, Aſtronomo, aut alterius eſt facultatis ſcriptore excogitatum, ſi quiſquam noſse cuperet, poſſet certiùs, quã ex ipſis libris, ex Cardinalis Sirleti ſermonibus, memoriaque repetere. Longinum olim Dionyſium animatam bibliothecum nuncupatum ſcimus: Didymum Alexandrinum ob multitudinem ſcriptorum, & aſſiduitatem legendi χαλκέντερον hoc eſt æneis praeditum inteſtinis, at vterque comparatus noſtro infans eſſet. Hic enim verè animata bibliotheca fuit, qui nihil quod libris contineretur ignorauit, nihil eſt oblitus. Ille verè aeneis in ſtudiis inteſtinis praeditus, tum quia nemo plura nõ ſolum ſcripſit, ſed ne cogitauit quidem (praeter infinita enim manu perſcripta, nullus ab eo eſt de literis habitus ſermo quum pleroſque quotidie haberet, qui multis annis elaboratas aliorum ſcriptiones, non longè ſuperaret:) tum etiam quia nullum vmquam tempus ſtudiis vacuum praeterire paſſus eſt. Legebat curis vacuus, legebat impeditus, ſanus, debilis in moleſtia, inquiete, in otio in negotio, in prandio, in caena, parũ dixi ẽt dormiens literas tractabat. Sæpius enim auditus eſt per ſomnũ, vel grauem ſancti cuiuſpiam locum explicare, vel Graeca & Latina oratione de difficili quaeſtione diſſerere, vrbanè vt à quodam dictum ſit, doctiora fuiſſe Cardinalis Sirleti ſomnia, quam ſint doctiſſimorum quorumque vigiliae. Illud obſeruatum eſt, neminem vmquam ad eum in parte aliqua literarum, quamuis exquiſita & abſtruſa, poſt multarum etiam noctium, dierumque locubrationes, tam paratum acceſſiſſe, quin eum paratiorem in illa, quam ſe ipſum inueniret, abque eo rebus ad illam ſpectantibus, ab ſe tamen minimè perſpectis obrueretur: neminem qui non doctior, ac melior rediret: pauciſſimos à quadraginta annis aliquid publicaſſe luce dignum, & vita, quin meliorem ab illo partem acceperint: vel enim coram: vel per epiſtolas cõſultus, de perenni illo doctrinae flumine cunctis impertibat: in ſacroſancta verò ſynodo Tridentina praecipuam eius fuiſſe operam, quamquam enim eſſet Romae, à legatis tamen apoſtolicis per literas conſulebatur, & Maximi ei Pontifices quidquid erat momenti grauioris demandabant, octaua vt quaque die ingentes ab eo literarum

terarum faſces pleni eruditionis eius, quę ipſius ſola fuit, ad ſynodum mitterentur. Nec mirabitur iſta, qui perpenderit coiiſſe in homine ingenium excellens, memoriam penè immortalem, aſſiduum ſeptuaginta annorum ſtudium, librorum apparatum, & multitudinem, qualem neſcio an ſit quiſquam alius ætate noſtra conſequutus. Præter pleraſque enim illuſtres Italiæ bibliothecas, quas luſtrauit diligenter, celeberrimã Vaticanam tractauit à multis annis, atque eam ſibi priuatã conſtruxit, quæ cum opulentiſſimis quibuſque magnorum Regum comparari poſſit. In libros enim, & pauperes tantùm ſuos redditus quum impenderit, in hac etiam re exemplo nos ſuo docuit qualis eſſe debeat Eccleſiaſtica ſuppellex. Dicam igitur quod eſt, à mille trecentis annis non habuiſſe Dei Eccleſiam doctiorem hominem doctiſſimo Sirleto. Accepimus Origenes, *Athanaſios*, Gregorios, Hieronymos *doctiſſimos, ſanctiſſimos: ſed ſi Baſilium nonnulli eorum cum magno Paulo, cum Ioanne Baptiſta, cum Helia, cum Moſe, cum alijs componere non ſunt veriti, dent nobis, vt & non nos prærogatiua temporis excludamur. Si omnes enim doctrinæ partes examines, & in vnum colligas, cunctis noſter eruditione, doctrinaque par fuit, & quod caput eſt in tantis doctrinæ opibus modeſtia, ac demiſſione animi. Nec enim ex tot laboribus, & vigiliis, aliud quęrebat, quam vt Eccleſiam maximè iuuaret: inſurgentes in eam hæreſes contunderet: amantibus eiuſdem filiis prodeſſet, quod quum viuens diligenter pręſtitiſſet, moriens quoque obſeruauit, teſtamẽto cauens, vt quæcunque in ſcriptis eius ad Romanæ ſedis defenſionem, ornamentumque ſpectarent Bibliothecæ Pontificiæ traderentur.* Quin *& in votis nihil magis ſemper habuit, quam vt inſignis illa Bibliotheca, tot à ſe impendiis comparata, ad eiuſdem Eccleſiæ, & publicam vtilitatem Vaticanæ, quam ſumptibus etiam priuatis locupletarat, donatiſque auxerat voluminibus, iungeretur. Nam quem in modum pro Eccleſia decertantes menſtruis ſi aderãt impenſis alebat, libris donabat empto in eam rem ingenti numero, vt præſentes ſermonibus, abſentes epiſtolis hortabatur, incitabat, impellebat, omnes verò pecuniis ſubleuabat, quamquam illuſtria, huius tamen non ſunt loci. Hæc ego quoties recordabor O venerandum, & ſanctum caput, quotieſque doctrinæ materia præ oculis erit, te beatũ prædicabo, nos verò fœlices, qui frui te potuimus. At me miſerum, vt magno enim iſta ſolatio eſſe poſſunt, ita vbique quũ repræſenteris, vbique lacrymas excutis. Occurris autem momentis omnibus, qui momenta rerum omnia officijs occupaſti. Occurres verò mihi, & his præſertim ſemper, qui literarum ſe ſtudijs manciparunt: quidquid enim aut legetur, aut dictabitur, animo offunderis, aderis menti, ſenſibus implicabere. Ipſe te animus amplectetur, oſculabitur, aſpiciet, alloquetur: & ſi interdiu perturbationes impedient incurrentes, in ſtudiorum rurſus ſilentio noctes te repræſentabunt. Noctes dulces, ſerenę noctes & ſuaues, quæ auaram dierum lucem excludent, quæ lumine meliori luſtrabuntur.*

Benignitas, *beneficẽtia, & liberalitas, quæ plures virtutes quum ſint, vnaquæque earum reddere hominem per ſe ſola illuſtrem poteſt, ita in hoc vno connexæ coniugatæque fuerunt, vna vt ſolum virtus cenſeri poſſent.* Benignitate *enim, quum ad benefaciendum impelleretur, liberalitate non niſi profuſe benefacere cogebatur. At ego quas prius nationes, quod genus hominum, quem ordinem prędicabo? Sapiens olim Ioſeph Regionem vnam Aegyptum, nec admodum magnam opibus aluit Regijs*

 ſuo &

ſuo & conſilio, hic ita noſter priuatis redditibus valdè paruis Ortum, & Occaſum, Septemtrionem & Meridiem, ab vltimis terrarum finibus quidquid eſt gentium ad vltimos fines Oceani: nec aduentum, exilia, peregrinationes expectauit miſerorũ: ſed quum eos paſceret, qui aderant, inopiæ in patriam vſque reliquis ſubſidia miniſtrabat. Perquirantur omnes nationes, excutiantur prouinciæ, nec Italia ſolum, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, non tamquam Orbis vltima Anglia, & ſub Arcto damnata Gothia, non Græcia, Sarmatiæ & Illyrium: ſed remotiores etiam Armenia, & Aſſyria, Paleſtina, Meſopotamia, & Adiabene, ſed interiores Aethyopes, ſed ipſorum vix olim creditorum Antipodum paucis etiam num hodiè ſedes cognitæ, haud erit enim vlla in qua plures liberalitatem eius quandoque experti non reperiantur. At enim quemcunque vel caſus aliquis, vel conſilium domo eduxerat, & huc aduexerat, eundem quidam velut natiuus plagæ huius flatus ad Cardinalis Sirleti limina deducebat. Quos ille liberaliter adiutos, ornatoſque vt excipiebat alacriter, vt humanè amplectebatur, vt de religione piè admonebat, vt adhortabatur ad conſtantiam in recta fide vehementer, vt lætos & exultantes demittebat. Magnus Helias vnius olim viduæ famem pauit, & curru igneo, igneiſq; in Cœlum equis vectus eſt. Hic ita noſter multa millia viduarum, multa millia pupillorum, multa millia ſenum, multa millia iuuenum, multa millia omnis ætatis, conditionis, ordinis. Heliæ opera menſura olei, & farinæ multis non defecit diebus, ita nec in hoc noſtro diuinum abfuiſſe miraculum videtur. Computatæ enim familiæ expenſæ, & quæ multis, tum ſexus vtriuſque monaſteriis tum aliis omnis generis pauperibus erant certæ, ac ſolidæ, & tamquam ſtipendia in menſes ſingulos aſſignatæ, non magnam illam vim pecuniæ, quæ ex illius reditibus parabatur prorſus abſorbebant: vt extra eam ſummam quotidianæ illæ liberalitates ſanè admirandæ, impenſeque librorum fieret. Quæ quum tot, tantæque eſſent, quin diuina ope neſcientibus, & ignorantibus nobis ſubminiſtrata his copia fuerit, non eſt planè dubitandum. Quid verò illa attinet memorare, quæ quamquam pauciſſimi præſtent, ab eoque ſint vno præſtita, quia tamen ab aliis præſtari æquum erat minus ſunt illuſtria. Quæ enim illi tamquam propria & ſua vindicamus huiuſmodi ſunt, vt quum ea ille præſtiterit à magna parte mortalium nec præſtentur, nec vero facile præſtari poſſint. Quare & ijs omnibus, quorum ei protectiones Romanæ aulæ more demandatæ erant impẽſas ſuppeditaſſe: & quum pleriſque ingentes donaret ſummas eos ne quid renunciarent precari ſolitum, ſilentio inuoluentes, ad illa quæ ipſius ſunt peculiaria properemus. Familia quum ei eſſet admodum magna, non quò multos in famulatu haberet, ſed quò multos aleret, honeſtiſſimaque omnibus, & ſupra proprias facultates ſtipendia exhiberet, ſi ex ea quiſquam fato fungeretur, obſeruauit perpetuo, vt vxori liberiſque eius, aut ſi his careret parentibus, fratribus, aut quibuſuis aliis non integrum modo ſtipẽdium id, quod viuens emerebat, ſed ſuperſtitum illorum quotidianæ impenſæ præberentur. Ingenioſa neceſſitas, ſuperauit te ingenio liberalitas: & quod in vita tu excogitare nequiuiſti, in ipſa morte inuenit benignitas. An affine illud eſt, quod ægrotantibus ex eadem familia præter alia pietatis officia pecunias quotidiè mittebat. An verò ludit nos & hic ſanctum ingenium, & dominorum, familiarũque œconomiam peruertit. Qui ſeruiendo enim vitam alunt extra ordinem etiam conantur ſeruire, quo promereri miſera

ſera ſtipendia videantur: & non tam in ęgritudinibus dolores, & carnificinam mor bi, quam imminutionem, amiſſionemque illorum pertimeſcunt. Docet famulos Cardinalis Sirletus qui malo caueant, & qui aſtus in ſeruis numquam repertus eſt, à benignitate patroni reperitur: ſeruire vt deſinant quò nõ ſtipendia modo, ſed & am pliſſima liberalitatis eius munera conſequantur. Docet & in ęgritudine propria, Kalendis enim Octobris (Heu infœlices Kalendæ, quæ funebres Nonas pręceſſiſtis) quũ vim morbi perſentiſceret præcipuam familię ſtipendiorum curam haberi, & dupla pauperibus omnibus emolumenta dari iuſſit. Docuit in vita, alebat enim lautè indo lis probæ adoleſcentes pleroſque, queis ſeruire quum interdiceret, tantum monebat vt virtutis, & literarum ſtudiis incumberent. O fœlicem famulatum, cui plus eſt ex otio commodi, quam aliis ex miſeriis, & laboribus. O inopum turbæ ferme erat, vt optaretis longum tempus ęgritudinis ſancto ſeni, quò in duplum alimenta caperetis, niſi impium id in benefactorem eſſet, & nefarium. An ſilendum quod ſingulis famu lorum pręter ſortem ſtipendij id paſſim clam aliis pecuniarum irrogabat, nullus vt eſſet in ea domo qui non ad extremum annũ liberalitatis huius lucro lucrum ſtipendij pene ſuperaret. Eorum verò qui egentes ad eum, tamquam ad tutiſſimum calami tatis portum fugiebant, tempus teram ſi affirmem nullum vmquam vel domi, vel fo ris quoquo loco aut tempore pietatem eius non expertum eſſe: quumque egentium nota ſit importunitas ſuperatam tamen eius ſaepe diligentia fuiſſe, quum latentes, nec ſe prodentes voce, aut aſpectu perquireret, è tenebriſque produceret: per Vrbẽ verò è vehiculo, ne quis praeteriretur crebrò pediſſequos admoneret: domi horis omnibus & ad prandium, antequam cibos attingeret, adeſſent ne vlli perquireret. Ad huiuſmodi officia pietatis ſub ceruicali nummos, inter libros, in caligarum locu lis habebat, quumque non paruam ſummam in ſudario ſaepius alligaret, ſi quis ſuperueniebat pauper, & ingenuus, & ſudarium, & nummos ſic donabat inuolutos. Sagax, & ambitioſum ingenium ſanctitatis, quod vno in beneficio multiplicium be neficiorum gloriam reperiret: & omiſſa enim mora euoluendi è linteolo pecuniam li beralitatis gratiam celeritate donandi augebat, & eodem munere egentis inopiae conſulebat, & pudori: quum nec illum donauiſſe adſtantes perciperent & indigentiae prius ſuae accipiens mederetur, quã ſe noſſet accepiſſe. Tres celebrantur apud nos ob hanc beneficentiae gloriã Laurentius, Martinus, & Ioannes miſerator. Laurentium ob id adeo coluit, vt huius tẽpli martyris illius aſſignatũ ſibi dignitatis ti tulũ commutare nunquã, quamquã poſſet, cũ alio voluerit: ad illorum aũt duorum ita ſe imitationẽ compoſuit, oĩum trium vt ſit laudũ veſtigia, pietatiſque ingreſſus. Qui enim quicquid habuit irrogauit, nec ſibi quicquã fecit reliqui, qui quaeſo nõ ingrederetur? Vidimus ſaepe quum pecuniis deficeretur veſte ſe ſe ſpoliantem. Vidimus quum eam clanculũ ſaepe pauperib. donaſſet, cum qui erat à veſte indignantẽ, perquirentemque quonam abducta eſſet, quouſque ſe ipſe leni illo & ſuaui riſu, quẽ iam (proh dolor) non videbimus prodidiſſet. Vidimus non iã ſudariola, linteola capitis, & reliqua corporis praebentẽ integumẽta, ſed ipſam nõ ſemel ſubuculam exuentẽ. Vidimus quum non aliud ſuppeteret chariſſimã ſuppellectilem, hoc eſt libros condonantẽ. Vidimus quũ aliqñ ad lectulum, quo quieſcebat pauper deueniſſet, nec ille aliud haberet, calceamentorum par, quod erat vnicum impertiſſe. Nimirum

vt vos ſanctiſſimi pedes, qui ſtellas nunc, qui calcatis ſolem, nudam humũ nudi premeretis: Quamquam credo humum illam, & beatę domus laterculos occaſionem quæſiuiſſe vos oſculandi, quum ipſi quotidie ab ore illo Ambroſię pleno, dum ſurgeret è lecto labiorum oſculo premerentur. Parum autem erat nudos pedes reliquiſſe, qui paulò antè quam decumberet, donato pileo quo tegebatur reliquerat & nudum caput. Sed quid illud? Quum Neapoli *Romã profecturus aureos centum in itineris haberet impenſas, omnes pauperibus diuiſiſſe: & ſępius* Roma *ita omnia donaſſe, vt nec vnde quotidianus ſibi parari cibus poſſet linqueretur. Sed quis ordinem obſeruabit, aut oratione benignitatem viri aſſequetur? Neophiti, quorum etiam iudex erat, apud eum ſępè querebantur nequire debitas ſibi ab aliquibus ſummas exculpere. Nouus verò Iudex iudicandi ratione noua, ſolidam de ſuo quantitatem perſoluebat. Addam quod ſuperet expectationẽ omnium. Intercedebat apud Pontifices pro indigentibus: ſi quandoque vero impetrare nequibat, numerabat de ſuo bis pecuniã, pro quibus interceſſerat: ſed eam à Pontificibus donari prędicabat. O liberalitatem prodigam, quae non in inopes modo, ſed & in principes ipſos, & rerum dominos redundauit. Puerulis qui hyberno tempore ſarmentorum faſciculos ad exigui panis ſubſidium colligunt, è Diui Petri area per famulum euocatis poſt rudimenta fidei binos cuique, aut ſingulos minimum argenteos denarios tribuebat, quum faſciculi omnes denario non eſſent, & hac poſtea luculentitate foci, ſaeuientia frigora propulſabat. Deficientibus ad templum Diuae* Virginis *de montibus fabricandum pecuniis, conſternatos operis praefectos erigebat, pergat inquiens opus, adhuc enim libri mihi ſunt reliqui: qui quum etiam defecerint non deficiet* Dei *benignitas. Nec fefellit eum pietas: ſi enim eorum quae impendit rationem ineamus, vix erit ex ditiſſimis qui tot impenſis ſufficere potuerit: idque diſceſſu eius apparuit, quando non ea aeris alieni relicta vis eſt, quam par erat in tantis impendiis, quamque omnes expectabant. Neque enim hoc ille vnquam timore à bene de omnibus merendo abſtinuit: quin ſaepius vt inopibus ſuccurreretur, ſanctos Patres non fugiendum debitorum onus dixiſſe, praedicabat. Ibat nimirum per horum, & trium quos ſuperius nominaui veſtigia. Ibat per exempla magni* Ambroſij, *qui ne parcendum quidem* Eccleſia*rum opibus ob pauperes cenſebat. Modum tamen vt prudens pater familias non exceſſit: diuẽditae enim bibliothecae, quae ſola ſuppellex à* Diuino *viro relicta eſt, quinta aut ſexta pars pretij totã diſſoluet molem debitorum. At vos qui Eccleſiaſticae Reip. principes adeſtis, ne patiamini incomparabilem theſaurum Romae veſtrae eripi. & tu Sixte Pontifex, ſi quid cogitas in ornamentum huius Vrbis, ſi quid in decus Eccleſiae catholicae, vt ſunt cogitationes tuę ſublimes & excelſae, vtere occaſione immortalitatis comparãdae. Demerere Eccleſiam, demerere Vrbem.* Erit *iſtud monumentum aere perennius,* Erit *marmore immortalius. Praedicabitur in liberalitate hac tua magnitudo animi, mentis ſublimitas, pietatis ardor, Religionis amor. Ito & tu per veſtigia virtutum tuarum. Ito per greſſus magnorum hominum. Ito per inſtituta maiorum tuorum Romanorum Pontificum. Adde decus Vaticano, ſicut addis Exquilino.* Quod *quum ſpondeat pietas, & Religio tua, iam nunc non futuras hac de re ſpes noſtras irritas auguramur. Agnoſco locum (Auditores) ad lacrymas ciendas.* Noui Rethoricos *colores omnes, quibus hic fletum excitare poſſem.*

Et in

Et in acie enim conſtituendæ erant indigentium turbæ: & deſolatarum domuum afflicta examina: & viduarum acies lamentantium: & puerorum agmina, qui quum inopiam ſuam non percipiant, calamitatem tamen nunc percipiunt. Sed ſcopulum hunc ſciens effugio: tam enim abeſt, vt fletum data opera excitem, libēter vt etiam comprimam & declinem.

Inculpatæ ergo puritatem vitæ: in Religionem *&* Deum *pietatem: inque homines officia breuiter expediam & perorabo. Quamquam enim officia ex his, quæ dicta ſunt intelligantur, ad inſtitutionem tamen actionum noſtrarum omitti non debet ardentis commemoratio ſtudij, quo ad ea omnibus non impulſus aut excitatus, ſed & vix requiſitus præſtanda, tamquam flumen ad depreſſiora ſuapte ſponte humilioraque decurrens ferebatur. Et quidem difficile eſt momenta illorum omnia, rationeſque exquirere: ſed neſcio an difficilius reperiri, qui plura vmquam & obtulerit, & præſtiterit.* Dolebat *ille cum dolentibus, lætabatur cum lætantibus:* Erigebat *oppreſſos: conſolabatur afflictos. Nihil dixi. Plus ille de aliena calamitate dolebat, quam qui acceperat, plus de emolumento, quam qui fuerat aſſequutus, lętabatur. A Pontificibus igitur quos nouit* Cardinalis *(ab omnibus enim magni ſemper factus eſt) nihil vmquam ſibi, nihil conſanguineis poſtulauit: nec tamen vmquam ad eos venit quin pro alijs quam plurima precaretur. quæ ſi aſſequebatur, quaſi non alijs fuiſſet ſed ſibi conſequutus immēſa propemodum lætitia geſtiebat: ſin minus mæſtus, & afflictus diuerticula quaeritabat, aliaſq. atque alias ſpei anſas ingerebat, nihil magis ſubterfugiens, quam ſignificationem repulſae: ne ea animum eius pro quo fuerat precatus conſternaret: quo diſcedente maerorem etiā animi, & non perfecti ex ſententia officij dolorem lacrymis teſtabatur. Magnum autem ei erat ſolatium ſi poterant repulſae huiuſmodi pecunijs compenſari.* Tunc *enim, quae ab alijs non aſſequebatur, de ſuo rependebat. Quum autem infiniti praedicare beneficia poſſint, ne vnus tamen vel verbo ſe ab eo, non dicam laeſum, ſed minus vmquam honorificè tractatum, ne è famulis quidem lamentari poteſt.* Factus *enim omnia omnibus, reuerentia ſenex, liberalitate princeps, abdicatione diuitiarum pauper, charitate parens, facilitate, & comitate frater ipſe quidem nemini intulit: intentatas verò iniurias per facile oblitus eſt.* Grati *animi virtutem declarauit, dum ſignatos Marcelli ſecundi præceptoris, & patroni armis nummos diligenter conquiſitos pauperibus diſtribuens imponebat, vt ad numerum ſpicarum quae in illis ſunt expreſſae, pro optimo Pontifice preces funderent.*

Puritas verò, & ab omni labe abhorrens natura vno Vrbis teſtimonio comprobatur, quae nemini parcens, huius tantū integritatem admiratur. Xenocratem praedicauit antiquitas ad pulchrarum mulierum illecebras inuictum, & immobilem perſtitiſſe: tale aliquid & de hoc praedicari poſſet, non philoſophiae iam praeceptis imbuto, non annorum grauitate, pondereq. edomito: ſed in acie aetatis, ſed in flore iuuentutis conſtituto. Interrogemus corpuſculum, contrectemus oculis cadauer, cernemus puri animi vas puriſſimum. Habuimus *hic, vidimus in feretro, recordamur quam integrum, quam pulchrum, quam decorum. Exangue enim pene ſpirabat, mortuū viuebat, et quaſi flētes cōſolabatur. Sed quid ego feretrū quid cadauer memoro? O feretrū, O cadauer, O dira oculorū lumina, quae ferre utrumq. potuiſtis.*

At

At titillat magnorum etiam mentes hominum dignitatum ambitio. Ab hac noſter adeò abhorruit, vt ne de his cogitarit: & quum quandoque de euehendo ad aliquam illum contentioſius ageretur, vt olim fecit Nazanzenus accurrerit verba Ionae pronũcians, ſi propter me tempeſtas iſta orta eſt, tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit à vobis tempeſtas. Sed vt eas non ambibat, ita quarum ſuſtinebat onus exquiſite munia adimplebat. Ut omittam enim Cardinalitiam, quam rectè ſuſtinendi exemplar ille fuit, factus ſancti Marci Epiſcopus & conciones ad populum quotidie habebat, & ea praeſtabat, vt mirandum non ſit in eum quem nouimus euaſiſſe Diuinum Borromeum, qui huiuſmodi praeceptorem nactus ſit: florereque etiam hodie eam partem ſenatus ſacroſancti, quae ſub eius fuerit diſciplina.

Quis verò abſtinentiam, & acria ieiunia fracta iam, & praecipiti aetate obſeruata dignè mirabitur, quum praefinitis ab Eccleſia multa adderet inſtituto proprio, & ab omni delitiarum genere mirum in modum abhorreret. Quis ſtudium precandi, quum & nectu interrupto ſomno, pſalmos, hymnos, & frequentes ſanctorũ memorias recitaret: ſurgens nudis genubus terram premeret, & oſcularetur, fuſiſque ad eum precibus miſſam antè omnia vel faceret ipſe, vel fieri curaret, genubus autem puluinum ſubijci non pateretur, vt nec alias niſi omnino id dignitatis ratio poſtularet. Sed quid in ſingulis defatigor? An lacrymas, & accuratam diligentiam in praeſcriptis precibus recenſebo? O lacrymas, O ſuſpiria. O diuino amore aeſtuantis pectoris incendia. O noctes inſomnes & irriquietas, ſed pſalmorum, & caeleſtium cantionum melle conditas. O clamorem nocturnum tenebras diſſipantem, diſcindentem nubila, & ad Deum penetrantem. O aquarum fontes pro alijs profuſos. O genua ſolo detrita, & attenuata laboribus membra. O feruorem ſpiritus carnem compeſcentem. O naturam parem Angelis, & inter homines adhuc conſtitutam in Cælũ ſe ſe inſinuantem. O puritatem & integritatem vitae admirabilem. O imitationem Chriſti, & demiſſionem ſui elationis auram comprimentem. O elationem & ſublimitatem mentis ad inannia vitae ſtudia fugiendum. O viſcera pietatis, & miſericordiae plena. O animum corpori imperantem, inque corpore iam liberum, ſeu contrito & pene emortuo corpore defecatum. O quid omittam aut quid enarrabo? Percenſens enim omnia, dicendi finem vllum non inueniam, omittens ſuauiſſimis narrationibus fraudabo audientes.

Sed omittamus, & ad exitum properantem comitemur. Quem impensè à multis annis optans à ſuperiore tamen, quo grauiter decubuit, nihil adeò præ oculis, aut in ſermonibus habuit: ingruente autem vltima vi morbi, cuius difficultates aſperas, & crudeles inaudita tulit patientia, exultare cœpit tamquam poſtmodum diſſoluẽdus: pro gemitibuſque, & queſtibus, aut preces ad Deum, aut adhortationes in virtutem adſtantibus fundebat. Integer autem ad extremum halitum ſenſibus, & voce, Chriſti cruci affixi imaginem millies deoſculans illud antiqui cuiuſdam, & ſancti Patris identidem repetebat. Domine miſerere mei ſicut ſcis, & vis. Inſtare autem animi diſceſſum ſentiens ad imaginem eandem. Gratias tibi ago Domine, quod ad optatum me hoc iter adduxiſti, adeſque nec deſeruiſti vltimo in certamine. Poſtrema autem verba quam ſunt ſpei plena. In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam. Nocte verò quæ præceſſerat clara voce, ſermone græco ferme per horam longiſ

ſimum

ſimum hymnum cecinit, eoque peracto Latinis verbis precem ſuam Deo commendauit. Vt enim naturæ rerum indagatores Cygnos aues candidas, & innocentes lugubre, ſed dulce melos ſub obitum canere tradiderũt: ita candidus ille, & innocens animus non lugubrem cantionem, nec enim mori ægre ferebat ſed dulcem, & ſuauem fundebat in diſceſſu, & modulabatur.

Tibi verò anime ſanctiſſime ſuperatis humanorum laborum procellis, vt trãquillitatis, otijque perpetui fœlicitas, vt immortalitatis fructus iam partus eſt: ita ab amantibus tui, tuarumque virtutum obſeruantibus, ac ſtudioſis & quidquid fieri potuit eſt præſtitum, & pijs in feriis quieſcenti corpuſculo allatis iuſta ſunt de more perſoluta. Ego autem qui ſi vitam impenderem tuorum in me meritorum parti minimæ non ſatisfacerem, quum aliud non poſſem, triſte hoc & funeſtum exhibui ſermonis miniſterium. Quod quia rerum tuarum magnitudine dignum non attuli (quid enim poſſem cenſore, magiſtro, laudatoreque priuatus) precabor te, has ſaltem vt lacrymas non in laudis tuæ, ſed in doloris, & animi mei in te grati monumentum ad æternitatem omnem conſecres, & conſignes.

DIXI.